

1571

Senatus
Suriano in
Romana lo-
gatione per-
gere præci-
pit.

parante, antequam discederet, ad Senatum literas dedit, quibus virum summo ingenio, admirabili rerum usu insignem per aliquot menses apud se manere, petebat; ut si quid, quod ad foedus attineret, pertractandum foret, ab eo, qui ab initio ad exitum usque virtute, ac prudentia gravissima in re Reipublicae egregiam operam navasset, conficeretur; idque haud gravate Senatus concessit.

At Caesar, isti foederis nuntio accepto, licet magnam praese laetitiam tulisse visus esset, attamen legato Senatus nomine invitanti, multisque ad egregium capeffendum opus hortanti nihil praeterea, nisi, *Deum Optimum Maximum rebus nostris propitium futurum*, respondit. Ceterum in magna consiliorum ambiguitate, ac perplexitate versabatur. Turcarum arma, quae jam pridem expertus fuerat, veritus, ægre in gravissimas belli curas, ac sollicitudines se demissurum videbatur; cum praesertim Daciae res, quae bellum portendere olim existimabantur, Joanne Principe modo extincto, Stephano vero Batoreo, generis nobilitate, ac propria virtute insigni, a primoribus illius provinciae Principe nuncupato, tunc interquiescerent. Philippus vero Hispaniarum Rex privatim ac publice editis laetitiae signis, ingentem se voluptatem percepisse patefecit; literasque ad Senatum dedit, quibus, ut in dies foedus firmiores radices ageret, arctiorque nexu Principes omnes conjungerentur, operam enixe daturum pollicebatur. At in Carolo Galliarum Rege, qui saepius ad pacem Senatum cohortatus, ob id nuper Aquensem Episcopum legatum Byzantium designaverat, cum percussi foederis a Venetorum oratore certior factus, ne se a communibus christianae reipublicae rationibus sejungeret, incitaretur, aversus ab ineunda societate animus non obscure conspiciebatur; quippe qui, bellis civilibus Gallia laborante, omnes cogitationes & consilia ad gravissimas sedandas tempestates contulisset; neque rebus suis conducere existimaret, si praepotentem Principem, cujus amicitiam Galliarum Reges semper coluerant, ejusque viribus ad æmulorum sese efferentem potentiam opprimendam nonnunquam usi fuerant, nulla illata injuria, bello lacefferet. Itaque legato respondet: *Quod in foedere ineundo Respublica sibi proposuerat, id ut consequeretur, summopere exoptare; quod in concordiam incubuisset,*

to-

Joannis
Daciae
Principis
obitus.

Stephanus
Batoreus
Princeps a
Dacis vocatus.

Philippi
Regis ad
Senatum li-
teras.

Caroli Gal-
liae Regis
ad Venetos
de foedere
responsum.